
DIVINÆ PROVIDENTIÆ
Illuſtre argumentum
è
LUDOVICI XIV.
GALLIÆ REGIS
mirandum in modum depreſſo Faſtu
erutum,
& in Apollinis Parnaſſo
meritò repræſentatum
ab
IRENOPHILO.




cum annexis aliis nonullis eidem materiæ affinibus

ELEUTHEROPOLI.

A. *MDCXCV.*





Um ea ſit Humani Generis infelicitas, ut terram, qvam ipſi habitandam Deus conceſſit, pro hominum numero ſpatioſiſſimam, omniumq; ſuſtentationi ſufficientiſſimam, hi tamen qvietam nunqvam poſſideant, ſed, vix ullo reſpirandi dato ſpatio, ad mutuam cædem, lanienam & internecionem ſe non inqvietent ſolùm, ſed & promti, alacres, ac vix cohibendi concurrant, nec tamen poſt infinitas calamitates miſerabilesq; malorum turbines melius unqvam habeant; nihil fortaſſe præter verum dixerit, qvi orbem hunc officinam appellaturus eſſet flagitiorum, amphitheatrum inſanientium, fabricam machinarum, qvibus perdant invicem & pereant miſeri errones mundani, rebus ſplendidis elati, indomiti, luxuriantes, adverſis qveruli, timidi, & aliqvando ſtupidi. Qvemadmodum verò qvi profanis duntaxat oculis tam funeſtas ſcenas contemplari vellent, triſtiſſimo illarum aſpectu facilè vel ad immodicam vitæ hujus nauſeam compelli, vel ad impias adverſus Deum qverelas adigi, vel ad omnem lætitiam ſortisq; melioris ſpem ex animo proſcribendam moveri poſſent: ita qvorum oculi Divina luce irradiati ulterius proſpiciunt, atqve in eodem rerum humanarum theatro ſapientiſſimam Dei Providentiam unà emicantem cernunt, adeò nullas vel vilipendendæ vitæ ſuæ; vel cum Deo litigandi, vel ejurandæ omnis lætitiæ bonæq; ſpei cauſas inveniunt, ut potius inter denſa malorum agmina & ſæviſſimos adverſitatum turbines ſerena mente

 frui,

frui, dulciſſimoq́; hoc cœleſtis Providentiæ ſpectaculo reficere animos ſuos & ad lætiſſima qvæq́; ſperanda erigere qveant. Qvid enim pio animo in hac mundi fece ſive ſentina conſtituto, interq́; tot miſerias & calamitates verſanti, ad temperandas præſentis vitæ amaritudines dulcius, qvid ad ægritudines animi leniendas lætius, qvid deniq; ad bonæ ſpei faculam accendendam illuſtrius accidere poſſet, qvàm Divini Numinis Bonitatem bonamq́; Sapientiam omnibus humanis rebus præſentem ac præſidentem intueri, & admirabundum cognoſcere, qvomodo per noſtram licentiam Deus nos cogat in ordinem, per noſtras iniqvitates ſuam exerceat juſtitiam, per noſtra dedecora ſuam illuſtret gloriam, per ſtultas cupiditates noſtras ſanctiſſimæ voluntatis ſuæ adimpleat leges, per noſtras aberrationes & obliqvitates rectiſſimos attingat ſcopos, cumprimis verò qvicqvid exitioſum evadere piis poſſet, in ipſorum ſalutem vertat, puſillumq́; agmen ut roſam inter ſpinarum aculeos, ut radium nitidæ lucis in opaca nocte florentem ſplendeſcentemq́; conſervet, nulloq́; neglectu impetuve adverſantium prohiberi ſinat, qvò minus perituro orbi ſupervectum perduret. Qvæ admiranda Divinæ Providentiæ ſpectacula, ſi unqvam, noſtro certè ſeculo hoc uberius & luculentius ſe produnt, qvò potentius nunc furit, univerſam malitiæ ſuæ πανοπλίαν explicando, juratus ille Humani generis hoſtis, tantorumq́; malorum inventor & inflator Diabolus, haud qvippe ignarus, qvàm parum temporis (properante jam ad ſenium rogumq́; ſuum mundo) ſibi ſuperſit ad implendam malitiæ ſuæ menſuram & affligendum piorum manipulum. Ut ſeculum proinde noſtrum haud magis univerſæ malitiæ ac ſtultitiæ Diabolicæ qvàm Benignitatis ac Sapientiæ Divinæ ſummam & compendium velut exprimere videatur, & qvi vel pauculorum annorum res noſtro ævo geſtas expendere cupiat, clariſſimis indiciis cognoſcat, eſſe Potentem, Sapientem, aſſiduum Regnatorem, qvi regna inſtituat, deſtituat; amplificet, extenuet; extollat, deprimat; opponat,

com-

componat; convertat, evertat; præmia virtutibus ac triumphos, sceleribus supplicia ac dedecora tribuat, nec malas artes earumq; magistros proficere multùm, nec diutiùs sinat, qvàm dum justas pœnas dederint ii, qvibus flagella hæc destinata fuerant. Nihil nunc ego de Osmanidarum Gente, vetere illo Christianarum Gentium flagello, dicam, qvam intra paucos annos evomere tot ac tanta oportuit, qvot intra gemina secula improbo ore devoraverat; nihil de Jacobo, qvi, Regis personam malè agendo, theatro suo sine omni applausu imò cum pudore & gemitu excedere debuit: unus mihi Galliæ Rex modernus *Ludovicus* in fidem dictorum sufficiet. Cujus certè regnum, si qvod aliud unqvam, ad tantum fastigium fortuna evexit, ut plurimis esset terrori, admirationi penè omnibus. Sive enim opum abundantiam; sive terrestris æqvè ac maritimæ potentiæ amplitudinem; sive subditorum in obseqviis præstandis fidelitatem; sive militum consilio manuq; strenuorum copiam; sive armorum aliorumq; militarium instrumentorum apparatum; sive castellorum ac Fortalitiorum ad muniendos regni tanti limites robur, ceterarumq; partium non hinc & inde sparsarum ac dispalatarum sed Gordio nexu velut junctarum decus & firmitatem; sive fœderum ad conservandam augendamq; potentiam commoditates; sive prosperos in belli pacisq; negotiis administrandis successus, & refulgentem inde summum gloriæ splendorem spectaverimus; nihil felicitati Galliæ deerat: solùm desiderabatur Rex, qvi regnum opibus firmum, copiis locuples, gloriâ amplum, virtute honestum qvoq; efficeret, hoc est, qvi Deo publicisq; commodis devotus intra naturæ fines affectus potentiamq; suam coërceret, prodesse omnibus, nocere nemini vellet, qui totius orbis imperia ne unius qvidem innocentis sangvine emere auderet, rationumq; ad supremum Christi tribunal aliqvando afferendarum qvàm vectigalium, tributorum censuumq; curam majorem habere mallet, nulla imbutus fraude, nulla inqvinatus avaritia, nulla contaminatus perfidia, nulla fœdatus crudelitate.

Sed

Sed qvemadmodum res ſecundæ plerunq; mutare & corrumpere mortalium naturam ſolent, & rarò qvisqvam erga bona ſua ſatis cautus: ſic feliçitatem ſuam perferre *Ludovicus* non valuit; ſed nimio ejus ſplendore qvaſi occœcatus, perpetuisq; deliciis ebrius, talem potius ſe geſſit, qvales vel lumine capti ſolent, qvos ad cunctos impingere lapides cernimus, vel qvorum ſolutas mentes in qvascunqve beſtias Lyæi inſania transformat. Præterqvam enim qvod impuris voluptatibus ita ſe vinciendum ac conſtringendum dederit Venereus hic Nepotulus, ut earum turpiſſimo famulatu ac nexu irretitus licita ſibi crediderit, qvæ nonniſi turpia in alienis genitalibus furta appellari debent; cum ipſa pudicitia ſimul reliqvum pudorem perdidiſſe eſt viſus, poſtqvam inſanæ ambitionis ſtimulis agitatus alienam gloriam ſuum interpretari dedecus, aliorum damna & pericula ſua æſtimare commoda & lucra, nullam deniqve legem agnoſcere amplius, ferre tamen omnibus voluit. Hinc à domeſticis injuriis (qvod non niſi furioſorum eſt) iniqvitatem ſuam exorſus Comitiorum vim eluſit, Parlamenti autoritatem depreſſit, Nobilitati pennas, ut renaſci amplius non poſſent, incidit, ne qva videlicet domeſtica potentia pravis ejus conſiliis & adverſus exteros, qvorum ruinâ litandum ambitioni ſuæ duxit, machinationibus, remoram poſthac injiçeret. Poſtqvam verò, converſo ad exteros ambitionis tantæ furore, Gentes cum Gentibus, regna cum regnis committere, ſumma orbis Capita variis afficere contumeliis ac tantum non pedibus calcare placuit; poſtqvam munitiſſima arte & natura loca intus proditoribus, extra militari robore expugnare, urbes pulcherrimas ac florentiſſimas in cineres & favillas redigere, ornatiſſimas provincias populationibus & flammis vaſtare non dubitavit; poſtqvam dextras, qvæ fidei teſtes eſſe ſolent, perfidiâ & ſcelere violare, gentiumq; jura inauditis & inexpiabilibus modis polluere non exhorruit; qvid reſtabat, niſi ut, terram cœlo, cœlum terræ miſcendo, ipſis conſcientiis dominari cuperet?

Et

Et imperavit certè, eosq; qvorum in auribus vox Dei qvàm terrarum Dominatoris svavius tinniebat, Deoq; magis qvàm homini parendum esse contendebant, suppliciis tantis affecit, ut insatiabilem crudelitatem ejus nulla tormenta explerent. Non miserorum lacrymæ, non suspiria, non plangores, non singultus, non preces supplices, non merita, non dignitates, non alia vel maximâ miseratione dignissima aliqvam ad partem humanitatis eum revocare, aut sævitiam ejus exarmare poterant. Hinc sqvalidissimi carceres, inde eculei, cruces, rotæ, laqvei miseros terrebant; alios unci & adacti per medium hominem, qvi per os emergerent, stipites necabant; aliis distracta, in diversum actis cruribus, membra; alios tunicæ alimentis ignium suffultæ ac illitæ cruciabant; & qvicqvid militaris sævitia comminisci potuit, innocentissimos homines sustinere oportuit, tanqvam tot innocentium cruore vitiorum suorum maculas eluere, aut incendia passim excitata hac sangvinis inundatione delere Rex crudelissimus vellet. Jam in eo, puto, erat Divini fastigii æmula hæc ambitio, ut fabulosam Gigantomachiam in historiam mutando cœlum ipsum oppugnaret, deq; limitibus cum Deo contenderet; cùm potentissimus Deus ex altissima cœli sui specula audacissimi homuncionis vanitatem ridens, fibulam ori ejus imponit, intolerandumq; ejus fastum immanemq; sævitiam tantâ sapientiâ castigat, ut dum nullas amplius Divino armamentario superesse putabat virgas, scuticas, pestes, morbos, vindicemq; Dei manum effugisse se credebat, hanc ipsam nimis contra se armatam nunc experiatur, suaq; intercipi *gaudia*, accrescere *dolores*, geminari *timores*, minui *fiduciam*, eludi *spem*, destitui *vota* infelix sentiat.

Qvid enim *lætaris* ampliùs Ludovice? de propagatis qvàm latissimè Imperii Tui finibus? de tot victoriarum Tuarum insignibus & monumentis amplissimis, qvibus Heroica facta Tua consecrari vidisti, & ex parte ipse jussisti? de ejectis feliciter è regno Tuo universis Protestantibus,

laxa-

laxatisq; inde Ecclesiæ Pontificiæ pomœriis? de gravissimis in plurimos ac potentissimos Principes & Gentes jactis contumeliis? de Turcarum deniq; ab interitu Tua qvasi manu retractorum novis adversus Christianos ausibus belliq; apparatibus maximis? Sed ô suppuratam lætitiam! ô Sardonios risus! ô pudenda gaudia! Eqvidem terra mariq; stupendos exercitus adversus tot tantæq; potentiæ Fœderatos alere, expeditissimas acies instruere, victorias victoriis cumulare, innumeras urbes velut reti qvodam capere, munitissima castella brevissimo tempore, qvin & media hyeme, expugnare perqvam apparet lætabile, Heroicisq; factis connumerari dignum. Sed desinunt hæc esse talia, si eorum splendorem turpitudo inqvinet, si dignitatem consiliorum scelestissimorum astutia contaminet, si honestatem summæ & plusqvam barbaræ crudelitatis libido elidat: nec trophæorum nomine digna dixeris, qvæ pudendæ inhumanitatis, inhumanæ feritatis, feræ crudelitatis memoriam unà refricant, & in conspectu omnium ponunt. Et qvidnam qvæso solidæ voluptatis ex tot amplissimarum, qvæ regno Tuo facta est, provinciarum accessione ad Te redundare potest? Cùm enim in propatulo sit, qvibus adminiculis, qvibus præstigiis, qvibusq; titulis (nil certè nisi meram injustitiam imperandiq; libidinem redolentibus) in hos auctus surrexeris; non aliam voluptatem inde hauries, qvàm ii solent, qvi vel inter summos febris ardores gelidâ se ingurgitant, acerbissimis ideò doloribus mox cruciandi; vel qvorum prurigo, postqvam longa scalpendi libidine irritata est, diuturnam exulceratissimi doloris memoriam post se relinqvit. Sed & insanientis, prorsus lætitiæ genus est, qva ob actos in exilium, Tuis cumprimis auspiciis, Hugenotas tripudias ac triumphas, tanqvam religiosissimi & Christianissimi nomen mereri sic posses. Qvis enim religionis ampliandæ studio hoc factum à Te putet, à qvo qvoties prætenditur religio, toties intenditur regio? Qvis veræ religionis amore eò compulsum Te credat? cui dissoluta & impudens licentia potissimum religionis caput est, qviq;

non ſacris tantum Deoq́; devotis viris æqvè ac fœminis, ſed ipſi qvoqve religionis Tuæ Capiti & Anteſignano, Pontifici Maximo, injurias plurimas contumeliasq́; imponere es auſus; qvi ſangvinariis Turcarum adverſus Chriſtianos conſiliis non interfuiſti tantùm, ſed & præfuiſti, tantumq́; hoſtem è viſceribus Europæ propelli etiamnunc prohibes; qvi deniq́; miſeros Proteſtantes ad Pontificiam Religionem cogere non ea certè de cauſa voluiſti, qvod hæc vera, ſed qvod Tua eſſet religio; aliam non minori violentia ſubditis Tuis obtruſurus, ſi qvam rationi Statûs Tui magis accommodam, vel ad coloranda ſcelera Tua pingendasq́; pravas molitiones aptiorem noſſes. Qvodſi verò Tuis auſpiciis, Tuoq́; robore domitam ac proſtratam gaudeas Proteſtantium in regno Tuo Eccleſiam, longè erras. Exſcindi enim illa ſi poſſet, ad Tuam funeſtam ſecurim reſervata non fuiſſet, ſed per alios, utut Te longè mitiores, dudum extincta occidiſſet. Nec enim poſtqvam ſuis capitibus paulatim orbata, deteſtabiliq́; levitate aliqvoties circumventa eſt, eſſe deſiit; ſed etiam poſt Pariſienſe illud Gallici nominis indelebile dedecus, poſtqvam tanto fervore tentata eſt illius extinctio, ut mille Catholicorum clade centum Hugenotarum mors qvæſita emtaq́; ſit, auguſtior illa ſemper reſpiravit, prodeunte in aciem Jehova, & hinc temerarios Milones ipſo regni hiatu comprimente; illinc Valeſiorum validæ Domui, qvæ tota ſancto ſangvine madebat, ſtamina abrumpente; alibi ictus è Romano cœlo datos avertente; alibi impiè ligatos diſſolvente; alibi Lojolitarum ſangvinariæ Sectæ æternum dedecus parante, & omninò Religionem in commodam qvietamq́; ſedem reponente; dum Tu rurſus eam inde dimoveres, non ſine plurima innocentis ſangvinis profuſione, qvi Tibi tamen impiè propterea lætanti & in omnium gemitu triumphanti mare rubrum fortaſſis erit, qvo mox mergaris, & cum omnibus complicibus Tuis ſuffoceris.

Qvid *doles* verò *Ludovice?* plurima certè, & qvæ longissimè exuperent illorum numerum, de qvibus lætaris: Divinâ scilicet Nemesi doloribus tantis stulta gaudia Tua justissimè flagellante. Qvidni enim Te mordeat, pessimi complicis Tui, *Jacobi*, Angliæ qvondam Tyranni, fœdum ac pudendum exilium? qvandoqvidem tristissimus ejus aspectus memoriam Tibi revocat eorum, qvæ Tu, fretus Tanto socio (cùm ex eodem ovo prognati, in eodem ludo ad malitiam docti videamini) perficere potuisses, nisi nimium ille festinando cæcos peperisset catulos, præcipitiq; fortunarum suarum ruinâ vastam illam consiliorum Tuorum struem unà evertisset.

Qvidni urat Te maximè *Fürstenbergium*, dignum illud patella Tua operculum, Coloniensi cathedra exclusum, corviq; instar hiantis delusum, Hylam nunc inclamare, nec res Germaniæ turbare amplius posse? Qvomodo etiam concoqvere satis qveas interruptas *Delphino* Tuo victorias, qvibus Germanici Regni coronam Imperii ejusdem Proceribus erat extorturus, nisi Divina potentia infirmitati nostræ succurrisset, haudqvaqvam sanè passura, ut pro tot illatis Germaniæ à Patre injuriis & contumeliis tanta præmia Filius reportaret? Nec dubium, qvin abhorreant valdè aures Tuæ à *Danubii* commemoratione, etiamnum à compedibus Tuis per Dei gratiam liberi; qvas tamen injecturus huic eras (non solùm ut aleretur magis magisq; familiarissimum illud cum Pylade Turcico Tuo commercium, sed & ut novis inde cladibus Germaniam, ejusq; ocellum Austriam, affligeres, pacemq; tandem Augustissimo Germanorum Imperatori exprimeres) nisi Divina dextra audaciam Tuam contudisset atqve fregisset. Nec sine doloris morsu animum Tuum unqvam subibunt *Moguntia, Bonna, Cæsaris verda*, firmissima illa Rheni propugnacula, & velut pingvissimi boli faucibus Tuis Heroica Germanorum manu erepti. Num verò obductam vulneri huic cicatricem renovari dubitabimus invictæ *Rheinfels* aspectu? ad qvam velut rupem furens ac volaticus impetus Tuus durissimè

ſimè impegit, tanqvam Divina vindicta oculos Tuos in aliis plusqvam Lynceos ad talparum cæcitatem eo tempore damnaſſet, Tuamq;, qvam ex tot inſuperabilium ferè munimentorum expugnatione captaſti, gloriam fruſtranea caſtelli unius oppugnatione offuſcari voluiſſet. Ac tegere qvamvis, frangere tamen vix licebit dolorem, hinc maximè Tibi inflictum, qvod *Hailbronnam* opimæ inſtar prædæ ungvibus Tuis, unde prius exciderat, tam feliciter ſubduxerit Invictiſſimus Dux *Ludovicus Badenſis*, ut nulla niſi ex pelvi fulgura tum dares, Tuusq; robuſtiſſimus omniq; ex flore militiæ collectus exercitus, ſtupente Delphino Tuo, ad hunc limitem attonitus qvaſi ſtaret, nec niſi cum indignatione & pudore multo recedere cogeretur. Qvis verò exhauriet Tibi ingentem illum ex *Delphinatûs* Tui vaſtatione dolorem? ad qvem animo Tuo profundiùs infigendum cum omnia fuerint intolerabilia, tum maximè, qvod à *Sabaudiæ Duce*, hoc eſt, ab eo vulnus hoc Tibi ſit inflictum, qvem Tu Rex potentiſſimus, tanqvam minorum Gentium Deum, viribusq; multò Te inferiorem, vel dentibus, nedum armis numeroſiſſimi Exercitûs Tui, concerpi poſſe haud dubiè Tibi perſvaſeras: Divino tamen Numine ſcitiſſimè hoc providente, ut juſta talione Tibi Dux laudatiſſimus perſolveret, qvod Tu injuſtiſſimè adverſus alios Tibi licere, nefariè credidiſti. An verò ſine lacrymis vel animi cruciatu cogitabis illata *Portibus* Tuis hoc & ſuperiore anno incendia ac funera, cum aliqvos tantum non ſubverteret Horribilis Anglorum illa machina, vindicandis tot incendiis, ad qvæ Tu neſcio qvam gloriæ faculam accendere voluiſſe hucusq; es viſus, haud dubiè excogitata & inventa? Fallor? an graviores in ulcere Tuo ungves ſunt ſubtracta poteſtati Tuæ munitiſſima propugnacula, *Caſale* & *Namurcum*? Qvorum illud qvidem ſuperiore anno ab interitu ſuo vel ideò revocari debuit, ut minore Fœderatorum damno nunc caderet, ejusq; lentior occaſus majore animum Tuum dolore cruciaret; hoc verò ne à validiſſimo ſuo præſidio (cui neſcio an par unqvam habue-

rint propugnacula illa ac munimenta, de qvorum expugnatione gloriaris) defendi sic potuit, qvin Heroicæ Fœderatorum fortitudini nuper qvoqve cederet, & ad pristinum Dominum majori cum gloria rediret, qvàm erepta illi abs Te fuit. Talia sunt hæc, *Ludovice*, qvæ exulcerare animum Tuum satis possunt. Sed si reliqvum malorum Tuorum cumulum lustres, à mente Te deseri omninò est necesse. Sit enim acerbum Tibi, *Fürstenbergium* Electoratu fuisse exclusum: sed illius loco electum esse *Clementem*, Principem, qvi insigni Prudentia, pietate, moderatione sua, qvæ Juvenilem ætatem ejus mirificè exornant, pudorem Tibi grandævo incutere posset, & qvi pro publico bono adversus Te niti sincero animo cupiat, id verò longè Tibi acerbius. Sit calamitosum Tibi, *Delphino* interceptam Regni Romano-Germanici spem: sed hoc ipso in solio collocatum nunc cernere *Josephum*, Principem, cujus in viridi ætate matura virtus mereri hanc videbatur coronam, anteqvam acciperet, qvemq; ut Paternarum virtutum ex asse heredem, sic injuriarum gloriosum vindicem speramus, id verò multò Tibi calamitosius. Sit ærumnosum Tibi, *Jacobum* excidisse regno, perdidisse sceptra, factum exulem: sed WILHELMVM hæc sceptra invenisse, illaq; prudentissimè moderari, id verò multò Tibi ærumnosius. Sed paulò profundius Divinæ providentiæ admiranda rimari hic nobis liceat. *Jacobo* talis succedere PRINCEPS debuit, qvi Anglicanam Nationem tantopere devinctam sibi haberet, ut hæc justissimo titulo salutem suam eidem committere, suasq; vires ad vindicandam Regni libertatem commodare posset; PRINCEPS, qvi Anglorum non minus Rex sapientissimus, qvam Batavorum Gubernator & Capitaneus Generalis gloriosissimus, utramq; nationem ad tantum animorum consensum, tantam consiliorum conjunctionem, tantam voluntatum conspirationem perduceret, qvam nulla facilè vis, nullus metus, minæ nullæ perfringerent aut labefactarent: PRINCEPS, cujus multis magnisq; in rebus spectata Prudentia, Integritas, fides

tot

tot Fœderatos arctissimè sibi devincire, & ad commune commodum mutuis officiis gubernandum præclarè animare posset; PRINCEPS, qvi ad secundorum usum per adversa veniens, invictum adversus corruptiones animum servare, & infestum virtutibus seculum moribus suis corrigere posset; PRINCEPS, qvi Fortunæ adjutus amplitudine, & maximarum rerum excitatus successibus, omnesq; curas suas intento semper animo tum in propriam Regni sui tum in communem totius Orbis Christiani salutem defigere asſvetus, arduum Pacis (mox, ut speramus, futuræ) negotium consilio regere, integritate tueri, virtute conficere valeret; sive, ut significantius, qvod intendo, exprimam, qvi Tuas, *Galle*, deprimere cristas, confundere consilia, turbare circulos, enervare potentiam, frenare audaciam, eludere ambitionem, compescere libidinem, sedare furorem, frangere impetus, inhibere insultus, interpellare victorias, frustrari spes, ulcisci injurias posset.

Nunc, qvid *metuas, Ludovice*, videbimus. Mirum certè nisi omnia. Fieri enim vix potest, ut, qvi metui ab omnibus cupit, omnes tandem non metuat. Sed plurimum terroris *Anglorum Belgarumq; classis* haud dubiè Tibi incutiet? nec immerito. Hæc enim viris, armis, machinis, omniq; apparatu omnium, qvas oceanus unqvam vidit, instructissima Tuam, *Ludovice*, classem mari submovisse non contenta, portibus Tuis imminet, & oceani fauces velut portam qvandam excursionibus Tuis obserat, eumq; à piratica Tua rabie, qva maria corrumpis, purgat, perq; omnes maris Mediterranei portus, sinus, latebras, recessus, freta, peninsulas, promontoria naves Tuas mercatorias æqvè ac militares occludit opprimitq;, *Invincibilis* certè meliore jure appellanda, qvam Hispanorum illa, qvæ qvondam in sapientissimæ Anglorum Reginæ Elisabethæ excidium emissa, totoq; triennio immensis sumtibus apparata, nominis sui mensuram implere neqvivit, Invictamq; Reginam horribili sua specie non terruit; sed tempestatibus,

 nau-

naufragiis, miseriis omnibus gravissimè conflictata plurimumq; accisa, domum ingloria rediit, non sine magna Angliæ felicitate, sed majore Dei gloria, qvi Hispanicum eo tempore fastum, immoderata, incredibilia, nimis alta cupientem coërcuit, classemq; in melioris partis oppressionem destinatam cœlesti flatu suo dissipavit: cum hæc è diverso cœlesti gratia fulta & bonitate causæ freta, invicta hucusq; fuerit, & *Invincibilis* nomine non adeò indigna appareat. Hæc ipsa enim classis est, (multoqve nunc instructior) qva Sapientissimus ac Fortissimus WILHELMVS comitatus ac tectus Angliam (& qvod mirandum, eod. Anno, 88. scilicet, qvo superiore seculo Hispanica classis modo memorata adversus Anglos excurrerat) victor intravit, priscisq; juribus & avitæ religioni mirabiliter eam restituit; Hæc ipsa est, quæ Tuam, *Ludovice*, classem stupendam pariter maximoq; apparatu gravem (*Risselii* integritate & prudentia Gallicanas corruptiones scitissimè eludente, Divinaq; Providentia ingeniosam talionem hanc prosperante) tam fœda strage laceravit, ut ex ea necdum respirare, aut in aciem se recipere ausit; sed ad conspectum classis hujus timore perterrita contremiscat; hæc ipsa est, cui se suaq; omnia credere nunc cernitur Hispania, Divina sic moderante Sapientia, ut, qvæ utriq; classis hujus Genti excidium olim minabatur, pristinæ potentiæ iræq; expers, salutem suam utriq; acceptam ferre jam cupiat; hæc ipsa est, qvæ portibus Tuis & maritimis munimentis easdem faces immittere deinceps valebit, qvæ proximè superiore anno *Diepensem*, nec ita pridem *Malensem* portum aliosq; concremaverat, ne gratis orbem Pyrotechnica Tua erudiisse videaris, neve impunita relinqvantur tanta incendia, qvæ Plutonii Ministri Tui toties excitarunt, non unam Trojam Germaniæ aliisq; Provinciis inducendo. Sed est insuper qvod metum Tuum majori cumulo augeat, ut non modo sine cura qviescere, sed ne respirare qvidem sine metu qveas. Intus enim, intus est eqvus Trojanus; intus magna malorum impendet Ilias. Postqvam

enim

enim innumeros subditorum Tuorum, qvorum in sinu tutissimè qviescere poteras, qvorum preces votaq́; pro Tuis votis explendis solem orientem excire, occidentem comitari solebant, qvi annos suos Tuis annis libenter addituri erant, qvorum ope regnum Tuum etiam sine muris tutum foret, & per qvorum latera longâ serie locatorum ferro, anteqvam Te tangeret, transeundum foret, è regno Tuo expulisti; aliorumq́; innumerabilium sangvine ditiones & regna (justis Dominis mox, credo, summo cum pudore restituenda) emisti; ceteros verò, qvi sub calce & Dominatu Tuo etiamnunc gemunt, exactionibus, tributis, angariarum præstationibus, aliisq́; innumeris afflictionibus gravissimè premas, ac tantùm non opprimas, omniumq;, qvi Tibi serviunt, vita ex tenuissimo filo, Tibi vel levissima de causa rumpendo, dependeat; hos qvoqve Tyrannis Tua, Naturalium legum & pudoris oblita, ipsaq́; societatis humanæ vincula disrumpens, mancipatûs Tui vinculum rumpere, & pro Libertate sua arma adversus Te sumere mox coget: cùm nec Divinæ Providentiæ qvicqvam consentaneum magis magisq́; gloriosum videri qveat, qvàm si suo gladio jugulentur, qvi tot innocentium jugulis eum admoverunt, aut subditorum suorum jugum subeant, qvi tot Respublicas, Civitates, Principes, sola regnandi libidine, sub jugum mittere non sunt veriti.

Cui autem *confidis*, *Ludovice?* an *Lojolitarum* calliditati & versutiæ? Sed horum nefaria consilia ex hoc Te periculo, in qvo versaris, non liberabunt, qvin potius ex fumo in ignem ducent. Hi scilicet sunt Lysandri illi, qvi vulpinam primò pellem, cumq́; hac nihil proficeretur, leoninam induere Te docuerunt; hi sunt Dædali illi, qvi cereas alas Tibi affixerant, qvibus altius, ac debebas, elatus, velut Icarus præcipites tandem, ac pudendam temeritatis Tuæ pœnam luas, ludibriumq́; omnibus debeas. Nec ceteri insanientis sapientiæ Consulti Tui occultis malignisq́; stimulis suis Te, in pravissima qvæqve jam satis propensum, excitare atqve impellere desinent,

dum

dum horrendo & irreparabili lapſu ruas. An *Barbarorum* potius confides amicitiæ & fœderi arctiſſimo? Hem! verò qvam Tu hoc ipſo prodas virium Tuarum, ô Magne *Ludovice*, debilitatem! Ut enim naufragio ejecti & in aqvis mox perituri qvidvis amplecti malunt qvàm mergi: ita ne iis, qvos ipſe excitâſti fluctibus, nunc opprimaris, vel Turcæ auxilium implorare Te non pudet, qvaſi ex lege mutui hanc tabulam naufrago Tibi debeat, eò qvod Tua nuper manu ipſe qvoqve ab exitio ſuo ſit retractus, & (proh! facinus) innumerorum Chriſtianorum ſangvine, Te Chriſtianiſſimo Rege ſic dirigente, à ſervitio redemtus. Nec eſt, qvod fœderis hujus firmitatem Tibi pollicearis. Cùm enim ſanctiſſima fœderum nomina Tibi æqvè ac Damoni Tuo Turcico ludus tantùm ſint & occaſio fallendi, ac diſpari qvidem cauſa, pari tamen perfidia, induciarum cum Imperatore Romano-Germanico ſanctitarem utriq; ruperitis; qvis dubitet, qvin, ſi ceſſet ab alterutra parte ſperata ex fœdere utilitas, ſubtracto nucleo pignori alter alteri relicturi ſitis putamina? Nec enim inter vos, qvibuscunque pigmentis & fucis amicitiam veſtram coloretis, capitis vel cordis unio eſt, caudis duntaxat ardentibus, ut Simſonis vulpeculæ, connexi eſtis. Dignus Tu interim, *Ludovice*, tanto ſocio, qvem exoſculeris; dignus caduco hoc pariete, in qvem inclines; dignus ſcipione hoc arundineo, qvo nitaris, poſtqvam Divino diffiſus auxilio proprias vires adeò jactâſti, nec apud Chriſtianos Principes ob inſidias Tuas in ſimulatione officii plerunqve latentes invenire amplius potes, qvi vel jurato Tibi fidem habere, vel arctius agglutinari Tibi geſtiant. Turcam verò niſi infelix Jacobus doceat, qvanto ſtet Gallorum fœderibus innecti, ſuo is tandem damno diſcat, qvam miſerè pereant, qvi Tibi ſuccurrere cupiunt.

Qvid *ſperas* inſuper, *Ludovice?* ut nominis immortalitatem Tibi extruas, & *Magnus* paſſim appelleris? Sed falleris. Cùm enim præter Baſiolatras & Aſſentatores Tuos nemo Te jam laudet, ad mentionem Tui bonus qviſqve ingemiſcat, ad

faci-

facinora Tua vel ipsi Consangvinei Tui & Affines erubescant, recordatione Tui vicini, imò omnes tranqvillitatis & pacis amantes perhorrescant; oblivionis artem prius edocere alios Te oportebit, qva delere ex animo suo discant gravissimas injurias, qvas iis toties inussisti; obturanda Tibi prius illorum ora, qvorum damnis & miseriis potentiam ac fortunas Tuas auxisti; abolenda innumera scriptorum monumenta, qvæ immanem sævitiam Tuam, crudelitatem, ambitionem, ceteraq; vitia, æternas nomini Tuo maculas aspergentia, depingunt: aut, si minus id liceat, non aliam Tu inde gloriam metes, qvàm vel ex templi pulcherrimi incensione petulans Herostratus, vel ex captato totius orbis imperio audax Alexander, vel ex horrendis Christianorum persecutionibus sangvinolentus Nero, vel omnes, qvotqvot ex infamia famam sibi qværere solent: scilicet, ut *Magnus Incendiarius*, *Magnus Latro sive Pirata*, *Magnus Persecutor* audias. Nec enim ulla nox nefaria Tua scelera suis tenebris obscurabit, nec qvisqvam unqvam tam desipiet, ut veram animi magnitudinem in Te agnoscat, in qvo nil nisi rumor est, aut *verè Magnum* Te appellandum existimet, qvi Sapientiss. & Invictissimo WILHELMO non solum minor es, sed ne qvidem illi comparandus. Qvin Tu igitur *Magni* titulum cedis Wilhelmo? Qvantum enim Tu turpitudine, tantum Ille honestate; qvantum Tu temeritate, tantum Ille Prudentia; qvantum Tu libidine, tantum Ille continentia; qvantum Tu furore, tantum Ille constantia; qvantum Tu fraudatione, tantum Ille fide; qvantum Tu petulantia, tantum Ille pudore; qvantum Tu scelere, tantum Ille pietate excellit; dignissimus proinde, cui palmam Tu porrigas, omnemq; gloriam Heroi tanto resignes.

Qvid *optas* deniqve, *Ludovice?* an ut sub jugum Tuum mittamur, calcemq; & cæmenta convehamus, qvibus *universalis Monarchia* Tibi consurgat, ad qvam condendam omnem lapidem hucusq; movisti? Nescis scilicet, eam Te felicitatem optare, ad qvam tuendam alia felicitate sit opus; non intelli-

 gis,

gis, ea vota a Te fieri, pro qvibus, si successerint, nova vota facere Te oporteat; ignoras, qvantum mali sub his bonis lateat: periculosum enim est prægrave imperium, neqve, qvæ modum excedunt, navigia tam facilè reguntur, nedum ut Tu pluribus regnis (sive ut Adulatores Tui gloriantur, pluribus mundis more Solis illustrandis ac fovendis) sufficias, qvi ne Tui qvidem regni habenas tam prudenter moderari potuisti, qvin in summum discrimen adduceres, & tanqvam Phaëton alter tot facibus inflammares, ut jam non aqva sed ruina incendia tanta extingui posse videantur. Qvid verò injustius etiam, qvàm ea Te optare, qvibus ut Tu locupleteris, innumeri alii compilari prius debeant? Qvid stultius, qvam ea Te cupere, qvæ non capere, aut capere, qvæ non continere valeas? Itaqve nos contrà optamus (nec justissima vota nostra destituet Divina clementia) ne cervices & colla nostra durissimum Dominationis Tuæ jugum unqvam sentiant; qvandoqvidem sub Turca vel qvovis alio monstro tolerabilior servitus, qvàm sub Tuo Dominatu, qvi subditos tuos tantum non in asinos transformare, aut his miseriores reddere soles; cùm his onera sua in salutem, illis in extremam perniciem cedant.

An potius ut *pacem* nuper à Te oblatam amplectamur, exoptas? Sed neqve hujus voti damnari Te Divina Providentia sinet, qvippe qvod in nostram, à qvibus ne læsus qvidem es, perniciem improbè concepisti. Malus enim Tu Nomenclator *pacis* & *belli* vocabula confundis, & auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atqve ubi solitudinem feceris, pacem appellas: nec tam specioso & irrito *pacis* nomine aliud intendere videris, qvam ut, dato qvocunqve respirandi spatio, vires Tuas recolligas, nostras verò attenues vel dissipes; ut subditorum Tuorum adversus Te murmura & querimonias comprimas, unanimem verò tot Fœderatorum consensum concentumq;, qvoad licet, rumpas & turbes; ut tot injustas usurpationes aliqvo Præscriptionis jure firmes

ac

ac munias, nos vero dulcedine Pacis illectos & à defensionis nostræ cura solutos ex improviso, & velut ex machina (ut sæpius consvevisti) opprimas. Apage verò remedium, qvod causa morbi relicta dolores ad tempus duntaxat mitigat, ut majori cruciatu mox redeant! Longè à nobis sit pax illa, qvæ sub cineribus tot scintillas relinqvit, unde majoris belli mox oriatur incendium! Deprecamur has belli ferias, qvæ solummodo dant spatium enses lanceasq; acuendi, ut gravius dehinc vulnerent! Aversamur Transactiones illas, qvæ Grypho intricatiores litem ex lite sic serunt, ut citius in Cretæ Labyrintho exitum, in Gordio plaustro lorisq; caput, in tenebris lucem, in Scyllæ & Charybdis æstu tranqvillitatem, qvàm certi qvid in ea inveniamus, qvod publicam tranqvillitatem stabiliat, vel cavillatoria Tua interpretatione everti non possit. Et qvamvis, ut ejusmodi *Pacem* nobis persvadeas, intentatum nihil relinqvas; qvamvis, cùm præscribere illam, ut aliâs, ita nunc non possis, nullis neq; precibus parcas (qvas certè non apud Pontificem maximum solum, sed & Helvetios, utut aliàs parum honorificè à Te tractatos, adhibere pudori Tibi haud duxisti) neqve promissis temperes (infelices qvippe Chemicos imitatus, qvi etsi qvotidiè spe sua deturbati, sumtibus enervati, laboribus penè extincti, semper tamen à novo mendacio imposturæ spiritum resumunt, ut inter svavia somnia sua & lucri se offerentis computationem sibimet ipsis applaudant) qvamvis item, ut Pacem hanc nobis extorqveas, vel ipsum Acheronta movere non dubites, impensam Tu tamen operamq; hic perdes, justissima Dei vindicta hoc Tibi retribuente, ut surdas Principum aures passim nunc verberes, qvi Tuas nuper aures tot innocentium precibus, tot suspiriis, tot qverelis, qvas luctus iis expresserat, obturasti. Sed qvalem nos potius *Pacem* optemus, percipe: non certè *pudendam*, qvæ nomine suo bellum involvat, qvaq; tutius videri posset bellum ipsum; non *captiosam*, qvæ speciem juris fraudibus Tuis imponat, ut nova siti ad alia atqve alia properes; non

infirmam, qvæ Tibi propugnacula & munimenta firmissima, nobis latus nudum relinqvat; non *precariam*, qvæ à Tuo nutu vel armis pendeat; non *horrificam*, qvæ Dependentiarum, Reunionum, Compensationum sive Æqvivalentiarum peste similibusq; monstris nos terreat: sed *honestam*, sed *seriam*, sed *justam*, sed *firmam*, sed *tutam*, sed *lætabilem*; qvæ bellum finiat, non differat, qvæ vulnera nostra non obliget solùm sed & sanet; qva ablata nobis restituantur, denegata præstentur, promissa impleantur, commissa expientur, vastata reparentur; qva sacris suus honor, Protestantibus sua libertas, Parlamento Regni Tui sua autoritas, afflictis subditis Tuis sua felicitas, ignominia affectis sua existimatio, Fœderatis sua securitas, Christiano orbi sua tranquillitas redeat. Hanc nos *Pacem* non optamus tantùm, sed & sub clypeo jam speramus. Et qvidni speremus? qvando potentia Tua maritima metu exhorrescit, terrena flaccescit, militum impetus ob negata stipendia langvescit, obsidionum fervor tepescit, gladiorum acies hebescit, incultus ager sterilescit, annonæ caritas ingravescit, mercaturæ decus marcescit, subditorum paupertas accrescit, ærarium decrescit, tributorum vis increbrescit, promissionum fides evanescit, Legatorum eloqventia obmutescit, fama Nominis exolescit, sive, ut paucis multa exprimam, nihil penè amplius pro voto Tibi succedit. Imò hac *Pace* mox recreatum nos iri non speramus solùm, sed & pignore qvasi dato confidimus. Nec enim omine caret, qvod constantissimis illis purioris fidei confessoribus *Waldensibus*, qvos eadem Persecutionis, quæ Hugenotas in regno Tuo afflixerat tempestas, qvodam qvasi diluvio corripuit, qvorumq; nomina mactandorum tabulis jam erant inscripta, vitam, fortunas & Religionis cumprimis libertatem (ringente Te licet & Pontifice supremo) is ipse restituere pronuper debuerit, qvem Tu velut Ministrum in iis perseqvendis atqve patriâ suâ ejiciendis prius adhibuisti: qvasi dulcissimum lætissimumq; futuræ pacis fructum hos ipsos præcipere primosq;

gusta-

gustare oportuerit, qvos velut postremam victimam crudelissimæ persecutioni Tuæ consecrâsti. Et Tune *Ludovice*, temeritatis nostram inurere nobis jam possis, si, non ex alitis volatu, nec sinistro oscinis cantu, nec pecudum extis & fibris, sed ex hoc maximè signo auguremur, in ejusdem libertatis societatem mox venturos ceteros qvoqve Protestantes, qvos ejusdem calamitatis & miseriæ socios esse voluisti? aut, si Heroica insuper Invictissimi WILHELMI facinora animo perlustrantes, hinc qvoqve felicissima omina accipiamus & auguria, nobisqve prorsus persvadeamus, WILHELMVM Divinitus provisum atqve excitum fuisse, qvi pacem & qvietem Europæ totiq; Christiano Orbi restitueret, cujus Tu tanta procella, turbo atqve tempestas hucusqve fuisti? Qvamvis enim Tu fremere, latrare, minari, dentes Tuos in nos acuere necdum desinas; vix tamen est ut mordere multum ac lædere valdè deinceps nos qveas, ac tantum non consumta Tibi iniqvitatis clepsydra, & pereundi maturitas appropinqvare videtur: cùm nos è diverso, causæ bonitate Deiqve Favore nixi, meliora indies sperare caputqve nostrum tantò altius erigere qveamus, qvantò profundius Tuum demittere Te oportet. Qvemadmodum enim in morbi declinatione naturam, vim morbi expugnaturam, facillima ratione sustentamus, donec ipsa ad sanitatem eluctetur: ita nos, qvi Tua *Ludovice*, incrementa non amplius metuimus, decrementa qvotidiè cernimus, lætissima qvæqve non ominari non possumus, mox fortè (cùm cuivis percussori maturum Te intelligamus) spectaturi, qvo Te impetu, qvo murmure natura, omnium, in qvos insultasti, voto sit ejectura, locumq; lustratura, qvem inqvinasti.

Tu verò, Benignissime ac Potentissime Deus, cujus est auferre regna & transferre, humilia erigere, sublimia dejicere, fata vicesqve Imperiorum, vitam & vota Imperantium ex æqvo, & prout libitum est, dispensare, serva nobis qvæso tot tantosq; Fœderatorum Heroës: Lar-

gire iis porrò in concussam valetudinem, integras vires, fortia & felicia arma, Proceres fidos, Consiliarios probos, Familiam florentem, posteritatem nunqvam intermorituram. Sis qvæso etiam nobis propitius, &, si qva nos pejor avis progenies cœlum Tuum delictis impugnamus, si iram Tuam petulantius lacessimus, ne fulmina actutum expedi, ne in ipsa delictorum voluptate incautos nos opprime, ne pauculos insontes malorum catervæ sparsim immistos unâ exitii ruina involve! Qvid si in tanto hominum numero qvinqvaginta lateant justi? qvid si qvinqvagenario numero qvinq; desint? qvid si qvadraginta occurrant? qvid si numerus non ultra triginta excurrat? Sint saltem viginti: atqvi & decem sufficere stipulanti à Te Amico Tuo promisisti. Vel decem istos, si qvi sint, Numine Tuo protege, qui sua pietate nostras culpas, si id precari fas est, expient, qvi sulphur & ignem, qvi vindicem gladium excutiant, qvi Te, cetera invincibilem Deum, precibus & lacrymis expugnent.



IRENO-

IRENOPHILI
ORATIVNCVLA,

qva ante qvadriennium *Britanniæ* gratulabatur *felices miserias & calamitates,*

è qvibus Sapientissimi Regis sui WILHELMI *auspiciis mirabiliter emersit.*

EA qvidem natura est mortalium, nihil ut magis abhorreant, qvàm adversitates, nihil doleant æqvè ac illatas sibi injurias. Sed ipsa tamen calamitas virtutis sæpè est occasio; multosq; in securiorem portum tempestas detulit qvàm malacia; nec paucis ad supremam felicitatem aditus injuria fuit. Tu mihi recens & luculentissima testis es Nobilis *Britannia*, cui tam feliciter vertit ipsa illa, qva pronuper affligebaris, calamitas, ut periisses penè nisi periisses.

Horret meminisse, animus, luctuqve refugit in memoriam revocare miserias, qvibus Te involvere *Jacobus* Rex nuper Tuus est ausus, ex qvo fidem Proceribus Regni datam turpiter frangere, conscientiis superbè dominari, tot innocentissima capita crudelitati suæ nefariè devovere, &, ne malè administrato Regno malum deesset fulcrum, peregrinam sobolem supponere, non erubuit. Ac stabat prorsus sub novaculæ acie Libertas Tua, expiratura penitus, nisi ultima desperatione feroces Proceres Tui, & causæ æqvitate erecti, dignum tuendæ innocentiæ facinus tandem essent aggressi, ut prosperam qvidem audaciam juvaret solertia, absolveret celeritas; cùm in tempore momentum omne esset positum, nec posset laudari consilium, nisi peractum.

Intravit scilicet Angliam formidabili Batavorum classe munitus Serenissimus Princeps WILHELMVS AVRIACVS, desperatis ibi rebus salutiferam manum velut ex machina

chìna

china porrecturus: intravit, ne præsentientibus qvidem iis, qvi in expiscandis exterorum arcanis alias plusqvam sunt Lyncei, ac scire etiam gestiunt, quid Jupiter Junoni in aurem dixerit. Unaqve dies illa, qvâ Anglia WILHELMVM excepit, tot bonorum pavores, tot ambitiosas improborum spes & audacia vota, nihil avidius qvàm tristem Protestantium interitum expectantia, extinxit. Ipse verò *Jacobus*, Panico velut terrore perculsus, mox abiit, excessit, evasit, erupit, in turpi fuga Diadema pariter ac Regnum amittens, ac nescio, an felicior non futurus, si unà cum regno se quoque deserere potuisset. Sed difficile est malæ conscientiæ tormentum suum effugere. Nec tamen, ut pristinam Sanitatem *Britannia* recuperaret, satis fuerat, pessimum Regem suum velut evomuisse, nisi paratus jam & Divinitus qvasi provisus fuisset, qvi debilitatam refocillare, nutantem firmare, lapsuram erigere illicò posset. Qvod certè non alius poterat nisi WILHELMVS, cui qvippe singulare hoc munus in arcano Fatorum sacrario Fortuna servavit. WILHELMI itaqve caput ornare corona Regia debuit, qvæ indigno fugientis *Jacobi* capiti, magno Regni bono, exciderat: WILHELMVM induere purpuram oportuit, ad cujus conspectum semper posthac *Jacobo* erat erubescendum: WILHELMI manibus porrigenda sceptra erant, qvæ parum aberat qvin nimium stringendo *Jacobus* fregisset: WILHELMVS salutari Rex debuit, qui labantem Olympum Atlantis instar fulcire, Regnoq; pristinam libertatem conciliare valeret. Felices verò angustias illas, in qvas *Britannia* conjecta nonnisi optimum Regem eligere, &, plusqvam Diomedea permutatione χρύσεα ἀντὶ χαλκείων accipere debuit! Accidit enim haud rarò, ut illorum eligendorum necessitas Proceribus Regni incumbat, qvi neq; eligentibus satis placeant, neq; regnis multum profuturi videantur. Sed WILHELMVS, cùm salva *Britanniæ* libertate, non eligi non posset, tantò magis tamen Eligentibus placebat, qvantò dignior Regno videbatur, qvippe qvod antè

meruit,

meruit, qvàm Eligentium ſuffragio obtinuit; cùm nemo dignior coronâ videri qveat, qvàm qvi devoto pro Republ. capite eandem licitatur.

Qvantum Electione illa lætati fuerint Proteſtantium Reges ac Principes, dici vix poteſt: maximum hi namq; fulcrum novumq; abs tanto Patrono decus Eccleſiis ſuis accreviſſe ſenſerant. Nec pauci illorum, qvos Pontificis autoritas tenet devinctos, jucundiſſimo afficiebantur ſenſu tam optatæ totiq; Chriſtiano orbi fructuoſæ Electionis. Penetravitq; hoc gaudium ad Auguſtiſſimi *Imperatoris* Romano-Germanici ſolium, cujus intererat valdè ejusmodi Regem *Britanniæ* dari, qvi non tantum afflictis ejus rebus conſulere, ſed & preſſæ Germaniæ ſuccurrere, ſociasq; manus jungere poſſet ad ulciſcendum juratum illum hoſtem, cui Germaniæ tranqvillitas tanta ſudes eſt in oculis, & adverſus qvem longiſſima tot annorum patientia nihil ampliùs profectum, qvàm ut plura & graviora tanqvam ex facili tolerantibus Germanis indies imponeret, Gentiq; candidæ & (ſi dicendum qvod res eſt) adverſus peregrinas illas præſtigias necdum ſatis cautæ, nefariè illuderet.

Ad Anglos tamen omnium maximè pertinebat iſta lætitia, qvi Rempubl. ſuam WILHELMI Prudentia è decumanis illis fluctibus, qvos *Jacobi* perfidia excitaverat, externaq; irruentium ventorum vis immane qvantum inflaverat, in tutiſſimum deſideratæ tranqvillitatis portum ſubductum iri firmiſſima ſpe ſibi pollicebantur; lætiſſimo dehinc eventu ſpem tantam coronante.

WILHELMVS etenim in primo ſtatim regni aditu inſigni animi moderatione aliisq; præclaris regnandi virtutibus plerorumq; animos in ſe erexit, occultasq; invidorum inſidias & apertam hoſtium vim non minori fortitudine qvàm fortuna, non minore conſilio quàm induſtria repreſſit; compoſitis primùm Scoticorum fluctuum procellis, dein depulſis qvoqve à Proteſtantium in Hibernia cervicibus horrendis illis calamitatibus, qvas in delicias ſuas ſæviſſimus *Jacobus* vertere non exhorruit. Hic verò demum apertiſſimum campum WIL-

D HEL-

HELMVS invenit, in qvo laudatissima ejus virtus laxatis qvasi habenis decurreret, palamq; omnibus ostenderet, qvid posset devotum pro Rep. caput. Miser enim *Jacobus*, prioris fugæ Regniq; (justo Fatorum judicio) perditi ignominiam concoqvere nescius, infelicium aleatorum more (qvi perdito sæpiùs jactu ludere tamen non cessant, si fortè uno momento plurium horarum damna recuperare, donec omnem paulatim pecuniam profuderint, qveant) Hiberniam Gallico suffultus auxilio intrare, Martisq; aleæ reliqvum qvod habebat spei committere est ausus, omnem irarum impetum adversus WILHELMVM *effusurus*, ipsasq;, si liceret, Furias ex imis inferni caveis excitaturus. Sed ut nunqvam cœlum clientes suos deserit, bonaq; victoriæ pars est, bonam causam in aciem eduxisse; ita Jacobum WILHELMVS uno mox &, ut sic dicam, non toto prælio obtrivit, ut invadere & pugnare esset vincere, qvodq; de C. Cæsare olim dicebatur, *venit, vidit, vicit*, hîc meritò locum invenerit: nisi ita potius dicendum fuerit: *Venit, vidit, Deus vicit*, cujus auspiciis WILHELMVS pugnavit, gloriam omnem Deo transscribens. Tum vero infelix *Jacobus* triste exilium suum cum gemitu repetere; Galli cristas superbè nuper in *Britannia* erectas cum pudore demittere; cordatiores Britanni à Jacobo desciscere; ceteri, qvos potentioribus philtris *Jacobus* inescaverat, infirmos lacertos utcunq; movere, & anguium instar, quibus resectum est caput, caudâ minari: WILHELMVS vero insistere cœptis, urgere successus, neq; qvicqvam intermittere, qvod strenuo Libertatis Defensori incumberet, ipso Supremo Numine tam generosis piisq; ausibus ad miraculum usq; favente. Qvot enim, bone Deus! intra unius anni vertentis ambitum insidias, corpori, vitæ, saluti suæ structas WILHELMVS superavit? Qvot proditionum defectionumq; semina, anteqvam adolesceret illarum virus, viresq; assumeret, elisit, & in herba velut oppressit? Qvàm svavem mirandumq; Illustrium animorū consensum in illo splendido sacroq; Deorum terrestrium conventu Hagæ Comitum excitavit, ut, firmato arctissimis nexibus pristino fœdere,

ad

ad prudentiæ Christianæ solem qvasi coqverentur saluberrima illa consilia, qvæ typis expressa pronuper vidimus, qvibusq; nihil ingeniosius, nihil aptius excogitari potuisset ad refrenandam ambitiosam illius malitiam, qvi humani ac Divini Juris repagula toties effregit, & probitate mansvetissimarum Gentium, ac Germanicæ cumprimis, in occasionem exercendæ per tot conjurationes & facinora pudenda astutiæ neqvissimè hucusq; fuit abusus? Ut proinde non vanis ductus ominibus augurari penè jam possim: qvemadmodum Augustissimo atq; Invictissimo Imperatori LEOPOLDO divinitus ea obtigit felicitas, ut intolerandum Turcarum fastum immanemq; sævitiam gloriosè præ ceteris coërceret, superbamq; Gentem altera vice supplicem pro pace fieri cogeret: ita non alium magis qvàm WILHELMUM Divinitus excitum videri ad Galli (consimili fastu turgentis & fortunæ deliciis velut ebrii) furorem refrenandum, ut evomere non tantum, qvæcunq; toto hoc seculo tuburcinando malè adhuc digessit, sed & exhaustis mox, qvibus etiamnunc superbit, viribus, orare pacem tandem cogatur, qvam hactenus velut in stipem nobis donasse, titulis & porticibus & in communem omnium contumeliam dicatis monumentis palam vanissimè & cum ludibrio est gloriatus.

Qvin ergò justas audi voces *Britannia*, audi verissimas gratulationes: REGEM habes Pietatis studiosissimum, Prudentiæ & Fortitudinis gloria nulli secundum, civium ad sui negligentiam amantissimum, ultra Principum consvetudinem humanissimum, utriusq; Fortunæ scientissimum & adversus altercantes ejus blanditias irasq; non auditione duntaxat ac lectione, sed proprio usu & tot insignibus experimentis firmatissimum, talem deniq; qvem observare subditi, suspicere hostes, intueri superstites, venerari postventuri meritò qveant.

Macte lætis initiis hisce *Britannia*. Fruere desiderata felicitate, & fruere, qvod omnes bonæ mentes expetunt, nullo fruendi fine. Auctus cœlesti bono es, WILHELMUM habes, & una habes munus supra mortalia omnia, Defensorem Custodemq; sanctissimarum, qvas possides, rerum: qvo nihil sive ad cultum Tuum elegantius, sive ad concordiam Regni Tui certius, sive ad gloriam Tuæ Gentis illustrius comminisci, nedum asseqvi potuisses; qvi Tibi spondet, qvicqvid à Rege civibus sponderi optimum potest, conscientiæ libertatem; qui, si quid usquam est charissimi affectus, non exponet modo sed & in Te effundet, à se prius recessurus quàm à desideriis Tuis.

Equidem *Herculem* istum Tuum nova monstra feriari non sinent: habet enim hostis ejus adhuc aurum, qvod distribuat; animos, qvos corrumpat; artes, qvibus inficiat; Instrumenta qvæ adhibeat; machinas, qvas admoveat; socios, qvibus confidat; laqveos, qvos tendat;

blanditias, qvibus fallat; tempora, qvæ expectet; opportunitates, qvibus immineat; ministros, qvibus utatur. Sed nec WILHELMVM Tuum cœlestis destituet Providentia, nullibi qvàm in Augustorum Capitum cura occupatior. Aderunt illi armatæ cœlestium Geniorum cohortes, qvi latus lectumq; ejus cingant: excubabit pro incolumitate ejus cœlestis Argus, cui totus est in oculis: defendet ipsum eadem manus, qvæ sacrilegas Percussorum manus, ne parricidale ferrum stringerent, retraxit: tutabitur idem clypeus, sub qvo hostium suorum furorem hucusq; repressit: favebit idem illi ventus, qvi tot conglomeratas adversus ipsum conjurationum nubes, priusqvam in horridas tempestates sævosq; turbines erumperent, difflavit. Breviter: servabunt benigniora Fata hoc fulcrum, cui spes pacis, gloria belli, salus *Britanniæ*, securitas *Germaniæ*, tranqvillitas *Europæ*, felicitas *Orbis* innititur.

Ingeniosi cujusdam Poëtæ,

Ineundæ Pacis rationes

cum Augustissimo Romanorum atqve Germaniæ Imperatore

Purpuratorum in Turcia Principi

brevi allocutione propositæ,

contra Gallorum hodiernum Regem,

ore qvasi Oratorum Regis Magnæ Britanniæ & Fœderati Belgii ordinum.

Magnanime Ductor gentis Ottomannicæ
Præcelse Princeps! Regis huc Britannici
Bataviceq; Nationis nomine
Pro pace missi Proxenetæ plurimam
Tibi salutem nunciamus & damus,
Habere nostris si voles verbis fidem.
Svademus igitur, arma contra Cæsarem
Inauspicatò sumta, post decennium,
Post vastitatem, postq; clades plurimas
Datas, receptas, regna per pulcherrima,
Ponantur ultrò, nec sit ultrà hostilitas,
Honesta qvando pax haberi, qva nihil
Salubrius, jucundius nihil, potest.
At non honestè Gallus in periculo
Potest relinqvi, Turcici cui nominis *Amo-*

Amore se subjicere voluit gloriamq;
Et pace florentissimas provincias.
Periculosè deseretur, qvi manum
Si dederit hosti victus, ampliùs dare
Neqvibit & porrigere vobis commodam.
Etiam minatur, si relinqvatur, luem
Internecivam, qvicqvid efferus Temir
Obnoxiis, imbellibus victis potest.
Huc ergò ventum est, terreatur ut minis
Vis illa vestra, terror ille gentium,
Trabantq; Thraces spiritum precarium
Sub Rege Gallo, spiritum qvamvis trahat
Ægrè ipse fessum exhaustus atq; langvidus?
Qvod si, qvod absit, expeditus hostibus
Cunctisq; major stragibus surrexerit
Regniq; duplicaverit potentiam,
Vobis ne parsurum putatis, ô rudes
Atq; imperiti, qvæ tyranni sit fides,
Spectata nempe pluribus periculis
Circumjacentum gentium; qvæ sit sitis
Honoris atq; gloriæ, qvam finibus
In Proferendis semper imperî sitam
Omnem arbitratur, nec modum aut finem facit,
Ceu dirus hydrops crescit indulgens sibi.
Tunc ergò longè firmiori copias
Et robur opponetis adversario
Æqvale serò. Sed timere non decet
Dextras amicas, inq; summo cognitas
Discrimine, omni jam tremente Bosphoro?
Favisse nostris visus est parentibus,
Est visus aliis pluribus: sed visus est;
Ipsos & hostes ut videret atteri
Lento duello, stragibusq; mutuis;
Vtrisq; dum superveniret celsior:
Hispanicæ dum ponit obicem, suam
Dum firmat extenditq; rem, per fas, nefas,

Vel

Vel cum ruina Christiani nominis,
Cui se studere dicit, ut qvi maximè.
Vtcunq; falsum dicat, ut qvi maximè,
Et maximum rerum sacrarum Præsulem
Divexet ipsum omnesq; Consacraneos,
Qvi numen ejus nondum adorant unicum,
Ferro seqvatur atq; flamma turgidus:
Vtcunq; nullus improbare plurium
Videatur ipse velle nexum conjugum,
Sed ferre, sed probare, sed vita probet
Et alia plura, grata vestris sensibus:
Tamen Corani plura jura despuet
Legesq; qveis præscripta circumcisio,
Ridebit explodetq; cum stultissimis,
Qveiscunq; rebus semper augeri expetens:
Vobis amicum ne nimis vel asseclam
Speretis olim Muhametis fervidum.
Vtcunq; nullum Numen in celso polo
Aliud putare sit putandus aut solo
Perjuriisq; violet omnes Cœlites;
Conducet ipsi plus tamen professio
Jactatioq; gratiosior Crucis,
Ad obtinendum qvod petit, qvod somniat,
Qvod esurit sititq; totis viribus,
Totius orbis regimen ac fastigium,
Vt solus, ut sol, orbe toto fulgeat.
Apoc.IX.11. *Apollo certè, sive Apollyon cluet,*
Svet. Arg. c. 70. *Apollo verè Tortor est seu perditor,*
Vrendo Phaëthon, vana fando Loxias,
Vt qvemq; tanget scilicet, qvis hoc neget?
Huic qvippe se devovit unico suo
Cupidini deditq; qvod vobis dedit
Vestroq; amori, decipi si non pudet,
Fœdeq; cæcutitis in meridie.
Miramur autem jure, cur desederit

Ne-

Neglexeritq;, qvam petebat anxiè,
Occasionem rem gerendi splendide.
Cùm spes teneret obsidentes altior
Vos ad Viennam frangeretq; exercitum
Sublimis instructissimum Rhamnusia,
Si se obtulisset pacis arbitrum, domi
Adortus esset classe mox & copiis
Ex Sarmatis, Dacis, Pelasgis, Dalmatis
Freqventer auctis ad monetæ tympanum,
Plaudente Papa & purpuratis omnibus,
Cepisset ingens protinus Byzantium,
Et nuda cætera regna defensoribus.
Mox duplicato & triplicato robore
Persas, Mogolem, Tartaros, Sinas catos
Vicisset & qvod restat usqvam gentium,
Qvo jure qvave injuria, nil interest.
Inclusus autem Cæsar & cum Cæsare
Europa reliqva tota, velut indagine,
Venisset inde Gallicanum sub jugum.
At læva Gallo tunc fuit, Cœlestium
Aversa Gallo mens fuit, superbior
Qvos læsit illusitq; factis pessimis.
Elata contumaxq; contemtrix DEI
Contemnitur mens à DEO, ne, cùm patet,
Ad gloriam certissimam cernat viam.
Putetve clausam, nil Alexandri gerens
Nati Philippo, timidior vel cautior,
Qvàm qvi Monarcham præbeat mundo novum;
Sica, veneno, nocte pugnans ac die
Largitionibusq; virtutis loco.
Iisq; planè non Alexander fuit,
Antiochus autem, qvem furor, cædes, strophæ
Fecere clarum, vel Philippus moribus,
Gessére magna qvi ferè nulla fide.
Novum Monarcham ne nimis qvis horreat.
Hic ergò si (qvod faxit ô Divum Pater!) *Coër-*

Coërcitus justisq; clausus terminis
(Nec enim bonam delere Galliam libet
A stirpe totam, vindicare sed magis
A servitute subditos gravissima)
Si vinctus ipse liberaverit metu
Atrociore Nationes assitas;
Si se didicerit cornibus fractis pati,
Fortuna qvæ vos maneat, arbitramini.
Vobismet ipsis pervicacioribus
Iniqviores pacis imputabitis
Serasve leges, subsidî cum nil erit.
Nunc occupate, cum patet, Pacem, citò
Ambabus ulnis occupate, qvam petit
Et ipse Gallus, vosq; præverti studet.
Perîsse, qvod perît, putate, divites
Satis & potentes nunc qvoq;, & paucissima &
Aliena tantùm perdidisse credite.
Ne plura pereant, dum repetitis acriùs
Amissa. Qvæ tenetis, ampla sunt satis.
Cultura tantum accedat & perennitas.
Non opibus opus est pluribus vobis; opis
Non indigetis ullius; qvies modò
Sit grata vobis. Nemo, qvi Christo dedit
Cum mente nomen, cum medullis intimis
Affectibusq;, vos lacesset aut premet.
Addicta Christo corda Principum fide
Prudente malunt promovere commoda
Provinciarum creditarum strenuè
Insigniterq;, cum DEO, qvàm limites;
Latisq; regna pulchra cultu præferunt.
Armis propagent sacra, qvos ratio fugit:
Pii magis svadere pietatem volent.
Hæc cogitanda pro tua prudentia
Colende Princeps, duximus, produximus,
Vt apud peritum multa paucis diximus.

ERRATA. Phil. 1. f. 4. lin. 16. pro agmen, l. gregem. f. 8. pro qvadam l. qvodam.